

quærant, sed tantum si extra loca, ubi Monasteria existunt, quærere voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere; at si extra Diocesim, teneri etiam illius consensum obtinere; Cæterum nullatenus esse permittendum, ut eleemosynas quærant per alios, quam per sui Ordinis Fratres.»

(37. Et quod non sit permittendum, quod Fratres etiam Mendicantes eleemosynas quærant per alios, quam per sui Ordinis Religiosos, vel Oblatos, statuit Sac. Congreg. Concil. in Polinianiensi 24 Septembr. 1622, ex cap. *Tuarum 11, de Privileg.* et novissime cum PP. Augustiniani Terræ Mondulphi Senogallien. Diocesis, opponente Capitulo Collegiatæ dicti loci, proponi curassent in Sacra Congregatione Episcop. et Regular. Dubium: «An ipsis PP. competeret jus quæstandi in Terra, et Territorio Mondulphi?» die 17 Januarii 1692, ad Relationem Eminentiissimi Card. de Abdua prodiit rescriptum: «Posse Regulares Mendicantes quæstuarum per seipos, et ad suam utilitatem; Per sæculares autem non posse, nisi de licentia Episcopi.» (38. Sic sine licentia in scriptis Ordinarii loci nulli quantumvis privilegiati possunt eleemosynas quærere pro aliquo opere pio, etiamsi essent Patentati, seu Commissarii Abbatie S. Antonii Viennensis, nam nec isti quæstuant sine licentia Ordinarii, non obstantibus eorum privilegiis; Sac. Congr. Conc. in Theanen. 30 April. 1678, in qua, utraque parte informante, censuit non posse a prædictis Commissariis quæstuari, nisi ad formam Sacri Concilii cap. 9, sess. 21 de Reformat. et Bullæ Gregorianæ incipientis *Romanum*, lib. *Decret.* fol. 262. Et iterum in Cajacen. 28 Augusti 1683, in qua censuit danda, et servanda esse decreta edita in dicta Theanen. (39. Nec talis licentia eleemosynas quærendi potest concedi a Gubernatoribus, Judicibus, seu Magistratibus, vel Principibus sæcularibus, ut respondit Sacra Congr. Episcop. et Regul. in Papien. 8 Novembr. 1619, et declaravit Sac. Congr. Concil. in Regiensi 9 Januarii 1582, et in Aversana 22 Februar. 1620.

(40. Confraternitatibus, et aliis locis piis, qui hospitalitatem actu non exercent, non est regulariter danda licentia quæstandi; Sac. Congreg. Episcop. et Regular. in Lauden. 28 Augusti 1584, et in Panormitana 17 Februarii 1601. Unde Sac. Congreg. Concil. in Maceraten. sub die 17. Novembris 1607, censuit Ecclesiam, quæ non habet Hospitalitatem, non posse mittere quæstuarium tempore vindemiarum, et messium. Secus si exercent hospitalitatem, ut in Nucarina 15 Novemb. 1577, et in Theanensi 4 Julii 1589, vel pro fabrica Ecclesiæ præsertim incepta, ut in Civitatis Plebis 29 Novembris 1610, dummodo rationem reddant Ordinario, ut in Nucarina 19 Augusti 1579, et Concil. Trident. sess. 22, cap. 9. de Reformat. Eleemosynas autem sponte oblatas recipere possunt, dummodo similiter rationem reddant, ut censuit ead. Sac. Congregat. 14 Novembr. 1642. (41. Ordinarii

prohibere non possunt Regularibus, ne quæstuent ante Confraternitates, nisi probetur consuetudo in individuo; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in una Carmelitarum, 4 Augusti 1603. (42. Eleemosynas, et oblationes ab offerentibus recipere non est prohibitum Regularibus inter Missarum solemniam, vertendo se ad populum, et generalem confessionem pro eo faciendo; non autem ei licet ab Altari discedere, et per Ecclesiam circumire; Sacra Congregation. Concilii in Nullius Provinciæ Ravennaten. 15 Septembris 1619.

(43. Ex eleemosynis Missarum nec minima pars retineri potest ratione expensarum, quæ fiunt in celebratione; nisi cum Ecclesiæ alios non habent redditus, quos in usu earumdem expensarum erogare licite possint; quæ portio nullatenus excedere debet valorem prædictarum expensarum. Sic expresse fuit statutum in decret. de *Celebrat. Missarum* in responsion. ad septimum, ubi subiungitur, quod «nihilominus absolute tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.» (44. Sacerdos, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, non potest eandem Missam alteri celebrandam committere, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta; cit. Decret. § 4. (45. Et id faciens quam pœnam incurrat? Vide infra num. 64. Eleemosynæ pro Missis celebrandis recipi non possunt ab Ecclesiis, si iisdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, nisi de consensu illorum, qui eleemosynas tribuerunt; cit. decret. in responsione ad decimum quartum. (46. Missæ ad satisfaciendum eleemosynis alicui Ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per externos, ubi commode possunt satisfieri per Sacerdotes ejusdem Ecclesiæ; Sacra Congregat. Rit. 28 Jan. 1606. Et Sac. Congreg. Concil. 5 Septembris 1616, 19 Novembris 1729, 13 Januarii 1732, et 12 Maii 1736.

(47. Eleemosynas peti per Ecclesiam, dum Divina celebrantur officia, prohibuit S. Pius V. constitut. 5, § 5, et Clemens XI injunxit prius Prædicatoribus in Quadragesima anni 1703, ut populo annunciarent majoris esse meriti, sibi gratius non dare eisdem eleemosynas in Ecclesiis, sed vel in Januis earumdem, vel alibi. Deinde vero intelligens adhuc continuari talem abusum, die 11 Julii 1703, fecit promulgari, et affigi in solitis locis Urbis, et in omnibus Ecclesiis tam sæcularibus, quam Regularibus sequens edictum: «Riconoscendosi, che tutto ciò non sia stato bastante ad impedire le sudette questuazioni, la Santità di Nostro Signore, ec. espressamente proibisce a tutti i fedeli dell' uno, e dell' altro sesso di qualsivoglia stato, grado, e condizione il dare limosina di qualsivoglia somma, benchè tenuissima, a' Mendicanti in qualunque tempo dentro le Chiese, avvertendo che quelli che in esse faranno a' poveri la limosina, non solamente per cagione delle sopra expresse circostanze, non faranno atto meritorio, ma saranno positivamente colpevoli, per avere benchè in-

direttamente cooperato all' irriverenza delle Chiese, ed ai disturbi, e distrazioni delle preghiere, ed orazioni de' divoti, ed anche per aver trasgredito li premurosi comandamenti di Sua Santità, che hanno per unico oggetto la riverenza, il decoro, e la quiete, che per divin precetto sono dovuti ai Sacri tempi.» (48. Quod fuit confirmatum in edicto Cardinal. Carpinei Urbis Vicarii 20 Januarii 1705, § 18, in fine, ut refert per extensum Monacell. tom. 2, tit. 13, fol. 34, primæ impress. Romæ ibi: «Siccome anche è l' intenzione di N. S. dichiarata nell' ultimo editto, in cui si proibisce ad ogni fedele dar nelle Chiese limosine a' poveri.» Et iterum confirmatum fuit die 13 Augusti 1716, a Cardinali Caracciolo Pro Vicario; nec non a Cardinali Paracciano Vicario die 23 Septemb. 1718, quando fuit etiam idem Edictum ampliatum multipliciter.

(49. Eleemosyna est facienda solum ex bonis propriis, et quorum quis liberam habet administrationem. Sic communis Doctorum. (50. Potest tamen fieri ex bonis alienis, quando pauper est in extrema necessitate, tunc enim omnia sunt communia. Omnes. (51. Non potest licite fieri eleemosyna ex bonis injustis, et obnoxiiis restitutioni faciendæ certæ personæ. Communissima. (52. Licet tamen fieri ex bonis acquisitis per opus illicitum, sed non cum injustitia, v. g. ex lucro meretricum, histrionum, et hujusmodi, quia tale lucrum licet turpiter, et illicite acquiratur, patrat tamen scelere, licite acceptatur, et possidetur ut vere proprium; *Doctores communiter.* (53. Uxor potest facere eleemosynam de bonis suis paraphernalibus et acquisitis etiam constante Matrimonio ex hereditate, Donatione, et propria industria familiæ non debita; item cum ipsa familiam gubernat, vel consentiente marito, vel marito absente, ægroto, aliaque causa impedito, dummodo eam non faciat in majori quantitate, quam vir, si gubernaret, faceret, vel facere deberet. Item potest uxor licite facere eleemosynam pro salute corporali Mariti, prout fecit discreta Abigail lib. 1 *Regum* cap. 25, et a fortiori pro ipsius salute spirituali. Item potest uxor dare eleemosynas dari solitas a mulieribus sui status et conditionis, dummodo non constet nolle maritum, quod illas præstet. Item quando a marito assignatur uxori certa summa pro sua sustentatione, et convenientia, tunc quantum ei superest parce vivendo potest licite, et sancte erogare in eleemosynas; *omnium communissima.*

(54. Filius familias nequit facere eleemosynas de bonis profectiis, et adventitiis, quia ususfructus talium bonorum spectat ad patrem; potest tamen facere eleemosynam

(1) Opinio Auctoris convenit cum opinione P. Antoine, quando enim Religiosus peregrinatur studiorum causa, tunc censetur habere sui Superioris licentiam saltem tacitam, vel, ut ait D. Thomas, probabiliter præsumptam; vide Antoine tract. de *Virtutibus theolog.* cap. 4. quæst. 4. Consentit et Natalis Alexander t. 2. *Theolog. moralis* l. 4. de *Decalogo,*

de bonis castrensibus, et quasi castrensibus, quia horum est Dominus. Item potest facere eleemosynas tenues de bonis parentum ex interpretativa, et præsumpta eorum voluntate. Item quando peregrinatur, aut residet in scholis exteris, potest facere eleemosynas de sumptibus paternis, quas faciunt alii suæ conditionis, et status. Item quando a parentibus habet assignatam certam summam pro sua sustentatione, et convenientia, quod superest, vel subtrahit, potest licite, et sancte erogare in eleemosynam; Sic *communis Doctorum.* (55. Servus et Ancilla nequeunt facere eleemosynam de bonis Domini sui: nisi de expresso vel tacito ejus consensu, quia hoc facile præsumi debet de rebus parvis; quæ alias inutiliter perirent, et maxime de iis, quæ sibi de victu concessio subtrahunt; *Communis.* (56. Religiosus nequit sine expressa vel præsumpta Superioris facultate facere ullam eleemosynam, quia non habet dominium in rebus ab eo acquisitis, nec in bonis Monasterii; cap. *Non dicitis* 11, caus. 12, q. 1, c. *Cum ad Monasterium* 6, de *Statu Monachorum.* Authent. *Ingressi*, C. de *Sacrosanctis Ecclesiis.* Potest tamen Religiosus facere eleemosynam de bonis Monasterii, cum administrationem habet juxta cujuslibet Ordinis, vel Monasterii morem; Item cum licentia Superioris etiam præsumpta, ut si occurrente casu, vel necessitate, Superior nequit adiri, aut quid exiguum est erogandum, tunc rationabiliter præsumitur licentia Superioris. Item cum peregrinatur extra Monasterium studiorum, vel aliorum negotiorum causa, tunc ex assignata sibi pro sua sustentatione summa poterit aliquas moderatas eleemosynas facere, et maxime si parce vivat, et aliquid subtrahat (1). Item in casu extremæ necessitatis alicujus pauperis, etiamsi in tali casu Superior injuste contradicat, quia Superior nequit rem justam, et necessariam contradicere, et tunc potius obediendum est Deo, quam hominibus: *Exod.* c. 1, vers. 17, ibi. *Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum Regis, et Act. Apostolor.* c. 5, v. 29. S. Petrus ait: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Communis.* (57. Pupillus nequit eleemosynas facere, quia non habet administrationem; nec prodigus, cui a Præatore interdicta est administratio. (58. Administratores, Tutores, vel Curatores possunt facere illas eleemosynas, quas recte facerent minores, si jam adulti fuerint, et possunt concedere pupillis licentiam faciendi eleemosynas minutas; *communis.* (59. Administratores Republicæ possunt facere eleemosynas consuetas Hospitalibus, et aliis locis piis; *Communis.* (60. Eremita petens eleomo-

regula 54. ejus hæc sunt verba: «Ex congiario, aut viatico, seu pensione ad victum, et vestitum sibi concessa, si quid residuum fuerit, ex hoc parcimonie suæ residuo pauperes potest recreare; » et apte citat in suæ propositionis præsidium D. Thomam quodlib. 3. qu. 6. art. 1. Nam hoc in casu tacita Superioris licentia præsumitur. (Not. Rom. Theol.)

synas pro Sacello, cujus cura et custodia est ipsi demandata, potest ex ipsis licite, et honeste vivere, quia inter necessaria illi Sacello est etiam victus talis Eremitæ, qui in sacello assistat, et curam ejus habeat. Reliqua vero expendenda sunt in servitium, et bonum illius Sacelli, cum ad talem finem petantur et dentur. Quod si aliqua supersint, poterit dare pauperibus tam cognatis, quam extraneis, nam non indigens potest mendicata dare aliis pauperibus, adeoque etiam talis Eremita ex superfluis sibi, et Eremitorio; nisi tamen tales elemosynæ essent datæ ex speciali devotione ad tale Sacellum (1). Cardinal. de Lugo in *Respons. moral.* lib. 6. dub. 17. num. 7. La Croix lib. 3. part. 2. num. 163. et alii. (61. Eleemosynarum distributor relictus ex aliqua testamentaria dispositione, ut testatoris substantias distribuat in pauperes, et pia opera, potest illas sibi pauperi vel suis consanguineis pauperibus appropriare; sic Religiosi et Religiosæ in tali casu, quod ipsis esset demandata aliquarum elemosynarum distributio, possunt distribuere suis Monasteriis, ut ex communi notat, et late probat Ursaya tom. 5. p. 2. disceptat. 4. per tot. et Fagnan. lib. 1. *Decretal.* in cap. *Dilectus* 18. *de Offic. Ordinar.* n. 16. (62. Distributio Eleemosynarum, quæ colliguntur occasione alicujus Jubilæi, et aliarum oblationum, quæ fiunt in Ecclesiis etiam Cathedralibus, spectat ad Episcopum et non ad Canonicos, ut decrevit Sacra Congreg. Episcop. et Regul. in Januens. Distributionis Eleemosyn. die 5. Martii 1722. in qua proposita causa per Cardinalem Corsinum, responsum fuit: « Competisse et competere distributionem eleemosynarum Eminentissimo Archiepiscopo in Capsulis expositis occasione Jubilæi etiam in Ecclesia Metropolitana cum addito, ut causa amplius non proponeretur. »

(63. Facientes celebrari ab aliis Missas minori elemosyna, quam ipsi receperint, parte ejusdem pro se retenta, si sint Laici, incurrunt Excommunicationem Papæ reservatam, et si sint Sacerdotes, incurrunt suspensionem item Papæ reservatam, quamvis Sacerdos, qui eas tali minori elemosyna celebrandas suscipit, expresse ad id consentiat. Sic novissime declaravit Benedictus XIV. Constit. incip. *Quanta cura*.

(64. Eleemosyna pro unaquaque Missa manuali non potest tradi minor uno Julio; sic expresse statutum est de mandato Clementis XI. die 23 Decembris 1706. ut patet in ejus Bullario, Edicto XII. et sic etiam statuit Sacra Congregat. Concil. 13 April. 1726. Unde Episcopus statuere potest, ne Sacerdotes recipiant quid minus elemosyna taxata. Sacra Congregat. Concil. in S. Severini Eleemosynæ Missarum 16 Jul. 1697. et in Alexandr. 26 Januar. 1743. Et id habetur etiam in Notificatione super Eleemosyna Missæ, quæ inter Institutiones Eccle-

(1) Hoc animo conferri elemosynas, ut in Eremitorii bonum cedant, semper est existimandum. Itaque, si qua ex illis, quæ Eremitæ Sacelli custodia

siasticas ejusdem est 66. num. 11. edita ab Eminentissimo Card. Lambertino, postea Summo Pontifice Benedicto XIV.

(65. Eleemosynas colligendi pro subsidio locorum Terræ Sanctæ speciale indultum habent PP. Minores de Observantia; et sic Ordinarii locorum tenentur illos suis subditis commendare in tota Diœcesi ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus, et Quadragesimæ temporibus, tam per Prædicatores in suis Sacris Concionibus, quam in aliis actionibus, et functionibus publicis, ut patet ex Constitutione 197. Urbani VIII. incip. *Salvatoris*, Constitutione 11. Innocentii X. incip. etiam *Salvatoris*, et Constitutione 39. Clementis X. incip. pariter *Salvatoris*, ac Constitutione Innocentii XII. incip. *Salvatoris*, et *Domini Nostri*, edita 21 Novemb. 1721. in qua confirmantur Literæ Urbani VIII. confirmatæ jam ab Innocentio X. Clemente etiam X. Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. ac Clemente XI. in quibus mandatur omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, et aliis locorum Ordinariis, nec non omnibus, et singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, et Institutorum Regularium Generalibus, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus, et Quadragesimæ temporibus, tam per Verbi Dei Prædicatores in suis Sacris Concionibus, quam in actionibus, et functionibus publicis, necessitates Locorum Terræ Sanctæ populo proponi, et commendari curent, et faciant. Et idem statuit Bened. XIII. Constit. incip. *Loca Sancta Palestina*, edita 3 Martii 1727. in qua confirmat Constitutiones 63. diversorum Pontificum, quibus gratiæ, privilegia, ac Indulgentiæ Locis Terræ Sanctæ, ac Minoribus de Observantia inibi commorantibus concessa fuere. Et idem fuit statutum etiam a Clemente XII. Constit. incip. *Salvatoris* edita 12 Septem. 1731.

ADDITIONES EX AUCTORE.

(66. Eleemosynæ pro celebratione Missarum oblatæ, integræ, et fideliter sunt in id erogandæ. Unde mercimonia exercentes super elemosynis Missarum, Laici excommunicationem, Clerici vero, et Sacerdotes suspensionem Papæ reservatam incurrunt. Bened. XIV. tom. 1. Constit. 22. incip. *Quanta cura* § 3 et 5. Vide supra numer. 64. verb. *Missa* art. 2. n. 16. ubi integra affertur dicta Constitutio. (67. Pedemontanæ Provinciæ Episcopi excitantur ad evellendos abusus circa elemosynas Missarum in vectos. Idem Constitut. 23. incip. *Pro eximia*.

(68. Eleemosynæ pro expeditione adversus infideles collatæ, ne in aliam quamlibet causam impendantur, prohibetur ab eodem Pontifice, Constit. 86. incip. *Quoniam* § 16. (69. Eleemosynæ a Regularibus fieri, et distribui possunt, opportunis facultatibus obtentis. Idem tom. 2. Constitut. 25. incip. *Ex quo*.

Fidelibus conferuntur, supersint, Eremita Ordinarium consulat, nec de ipsis eo inconsulto decernat. (NOT. ROM. THEOL.)

(71. Quoad elemosynam pro subsidio locorum Terræ Sanctæ, attendenda est sequens novissima Constitutio Benedict. XIV.

BENEDICTUS PAPA XIV.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Emanarunt nuper a Nobis quædam Literæ in simili forma Brevis expeditæ tenoris sequentis videlicet: Benedictus PP. XIV. ad futuram rei memoriam. Salvatoris, et Domini Nostri Jesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in Terris, inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas, in eam præcipue Pastoralis sollicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti, et tam salubris Mysterii monumenta, quæ in Civitate Hierusalem, et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni, qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur. Cum itaque, alias fel. rec. Urbano PP. VIII. Prædecessori Nostro exposito, quod Ecclesiæ, et alia loca in Civitate Hierusalem, et aliis locis Terræ Sanctæ existentia fere diruta erant, et quæ adhuc ibi existebant Monasteria ære alieno, ob impiam Turcarum, Hæreticorum, et Schismaticorum tyrannidem, et pro Sanctæ Fidei Catholicæ in eisdem locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus prædecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus, et singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, et Institutorum Regularium Generalibus commiserit, et mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus, et Quadragesimæ Temporibus, tam per Verbi Domini Prædicatores, in suis Sacris Concionibus, quam in actionibus, et functionibus publicis, necessitates eorumdem Sanctorum Monumentorum Populo proponi, et commendari curarent, et facerent; et alias, prout in ipsius Urbani Prædecessoris Literis desuper in simili forma Brevis die 3 Februarii 1634 expeditis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur. Et sicut pro parte dilecti filii moderni Commissarii Generalis Terræ Sanctæ Nobis nuper expositum fuit, ipse, quo præfatæ Urbani Prædecessoris Literæ, quæ a fel. mem. Innocentio X. Clemente X. Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. Clemente XI. Innocentio XIII. et Clemente XII. Romanis Pontificibus, pariter Prædecessoribus Nostris confirmatæ fuerunt, exactius observentur, illas per nos etiam confirmari, et innovari desideret; Nos eorumdem Sacrorum Monumentorum conservationi, et mantentioni consulere volentes prædictas Urbani Prædecessoris Literas auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus pariter, et approbamus; illasque innovamus, et observari mandamus. Volumus autem ut Patriarchæ, Archiepiscopi, et Episcopi prædicti in relatione status Ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum, facienda, referant se prædictis Urbani Prædecessoris Literis paruisse, contrariis non

FERRAR. III.

obstantibus quibuscumque: volumus insuper, ut earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10 Januarii 1741. Pontificatus nostri Anno primo. D. Cardinalis PASSIONEUS. Loco X Annuli Piscatoris. Cum autem sicut dilecti filii moderni Procurator, et commissarius Generalis Terræ Sanctæ hujusmodi Nobis nuper exponi fecerunt, licet necessitates Terræ Sanctæ prædictæ propositæ et commendatæ sint, nihilominus Eleemosynæ pluribus ab hinc annis ob præsentium temporum calamitates, ita tenues sint, ut exponentes prædicti necessitatibus hujusmodi præsto esse nequeant, ac propterea opportuno sibi in præmissis a Nobis provideri, et ut infra indulgeri summopere desiderent: Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, nec non omnibus, et singulis quorumvis Ordinum Congregationum, et Institutorum Regularium Generalibus per præsentem committimus, et mandamus, ut ad minus quatuor vicibus quolibet anno, Adventus, et Quadragesimæ Temporibus, tam per Verbi Dei Prædicatores, in suis Sacris Concionibus, quam in quibusvis aliis actionibus, et functionibus publicis, necessitates ejusdem Terræ Sanctæ proponi, et commendari curent, et faciant. Ac insuper, ut Parochialium Rectores, aliarumque Ecclesiarum Administratores unum, seu plures, viros probos ad colligendas Eleemosynas hujusmodi in earum Ecclesiis statutis diebus deputent, qui statim ac Eleemosynas collectas in eorum manibus consignari debeant, et faciant, qui elapsis Adventus, et Quadragesimæ Temporibus ad proprios Ordinarios pecuniam sibi consignatam transmitti debeant, dictique Ordinarii eam Syndicis in earum respective Diœcesibus ad hoc deputatis consignari curent, et faciant, servata in reliquis prædictarum Litterarum forma, et dispositione, auctoritate Apostolica tenore præsentium, volumus, præcipimus, et ordinamus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus insuper, etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20 Augusti 1743. Pontificatus nostri Anno Tertio.

PRO DOMINO CARD. PASSIONEUS.

Cajetanus Amatius.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(72. Non importune hic quæri potest, num jus colligendi eleemosynas per sacculum sonantem spectet ad actus Parochiales, ut Ecclesia Parochialis hoc jus tantum sibi ascribere, et alias Ecclesias non Parochiales ab usu ejusdem excludere vigore juris banarii recte possit?

(73. Argumenta opinionis tum affirmantis, tum negantis referunt Vildovogel de Oblat. quæ sunt in Eccles. per saccul. sonant. et Bohem. in Jur. paroch. sect. 4. cap. 1. § 31. sed ambo negantem amplectuntur opinionem. (74. « Ex his (ait Bohemer. loc. cit. § 32.) in utramque partem adductis rationibus patet, rationem decidendi unice in eo positam esse, quidnam proprie dicatur actus parochialis. Hoc vero non rectius dijudicari potest, quam si in subsidium sumamus attributa Parochiarum, et exinde actus dijudicemus. Hinc breviter hanc Regulam constituo. Omnis actus, qui Ecclesiæ parochiali qua tali competit ex jure perfecto cum jure prohibendi, excludendi, et cogendi, ille po-

EMPHYTEUSIS.

Vide verb. CONTRACTUS EMPHYTEUSIS, tom. II.

EMPTIO ET VENDITIO

Vide verb. CONTRACTUS EMPTIONIS ET VENDITIONIS, t. II.

EPISCOPATUS.

SUMMARIUM.

1. Episcopatus probabilis est Ordo Sacramentalis realiter distinctus ab Ordine Presbyterali. — 2. Hæc nostra sententia deducitur ex pluribus Sacris Canonibus. Primo ex cap. Requisivit 1. de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatu. — 3. Secundo ex cap. Episcopus non ordinatur 7. cum aliis sequentibus dist. 23. — 4. Tertio ex cap. Clericus 1. dist. 21. cap. Perlectis 1. dist. 25. cap. Omnium Sacerdotum 1. dist. 31. cap. Quia Sanctitas 16. dist. 50, etc. — 5. Colligitur etiam ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 4. et Can. 6. ejusdem Sessionis, etc. — 6. Probabilis est, materiam Episcopatus ad-

(1. Episcopatus probabilis est Ordo Sacramentalis realiter distinctus ab Ordine Presbyterali. Sic Hostiensis in cap. Cum contingat n. 6. de Ætat. et qualitat. quem ibi sequuntur Joann. Andr. Butr. Card. Ancharan. Abbas, et ceteri omnes Canonistæ; Glossa in Proemin. sexti Decret. verb. Episcopus, Glossa unice. in cap. Sollicitudo, et ibi etiam Præposit. num. 4. dist. 12. Glossa in Clementin. In plerisque, verb. Aliquid. de Election. Abbas in cap. Aqua, de consecration. Eccl. vel Altar. Butr. in cap. unice. de Cleric. per saltum promot. Præposit. in cap. Cler. 9. dist. 21. Fagn. in cap. Requisivit 1. de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatu, et ibi Canonistæ communiter, teste Card. ibid. num. 1. Barbosa de Offic.

(1) Quos inter Navarrus in Manuali cap. 23. n. 16. Bellarminus de Sacram. ordin. c. 5. Estius in 4. dist. 24. § 28. Sylvius in 3. p. d. Th. q. 40. art. 5. concl. 2. Isambertus de Sac. ord. disp. 4. art. 3.

test dici parochialis. Hanc Regulam uno ore confirmant Canonistæ, etc. Hoc posito fundamento, quilibet facile judicabit, rationes eorum qui negant jus colligendi eleemosynas esse actum parochialem, fortiores esse, ut secundum has merito pronunciandum sit. »

(75. De eo etiam non inutilis est disputatio, an qui quotannis certam eleemosynam erogare consuevit, compelli possit, ut et in futurum eam præstet. (76. Negant communiter Covarr. in c. Possessor. p. 2. § 4. num. 6. de Regul. Jur. Besold. consil. 118. num. 78. part. 3. Strykius Jurid. dissert. tom. 2. disput. 6. cap. 4. num. 15.

(77. Limitat vero Menoch. de Arbit. cas. 160. num. 17. in fin. ut non procedat favore piæ causæ, sed quod hic potius ex voluntaria etiam solutione necessitas in futurum inducatur, dissentiente tamen Strykio ubi supra, qui: « quum nulla (ait) obligatio in specie sic dicta hic præcedat, non imponenda videtur necessitas etiam ad favorem piæ causæ. »

Vide tamen quæ dicemus in addition. ad verb. Oblationes.

æquatam esse manuum impositionem: Formam vero hæc verba: Accipe Spiritum Sanctum. Et ostenditur prima pars. — 7. Ostenditur secunda pars. — 8. Episcopatus secundum aliquos fuit institutus quando cap. 21. Joannis Christus dixit Petro: Pasce oves meas. Alii autem probabiliter dicunt institutum fuisse cum Sacerdotio. — 9. Episcopatus probabilis conferri non potest eodem die cum Presbyteratu. — 10. Ordo Episcopatus debet conferri die Dominico. — 11. Episcopatus cum Cardinalatus officio compatibilis. — 12. Episcopatus titulares Ecclesiarum in partibus Infidelium laudabiliter conferuntur. — 13. Episcopatus non extinguitur per extinctionem Capituli. — 14. Episcopi jure divino Presbyteris præstant.

et potest. Episcop. part. 2. allegat. 1. num. 18. ubi pro hac sententia citat plusquam 18. etiam ex Theologis, quos sequuntur alii moderniores cum La Croix lib. 6. part. 2. num. 2209. Henno tom. 2. tract. 7. de Sacramento Ordinis quæst. 3. concl. 1. Aversa quæst. 2. sect. 7. Ilung num. 18. alique plures contra torrentem aliorum Theologorum (1). Et ratio est, quia Episcopatus, ut a Presbyteratu distinctus, habet omnia requisita ad verum Ordinem, verumque Sacramentum novæ legis; est enim cæremonia sensibilis, cum Episcopatus physice constet ex impositione manuum, et verbis, quibus utitur Minister, dum Sacerdotem consecrat in Episcopum. Et talis cæremonia fuit instituta a Christo, cum hujus non legatur in

Tournely de Majorib. et sacris ordinib. art. 1: immo Petrus Soto hanc sententiam certa fide tenendam affirmat lect. 4. de Sac. ord. (EDIT. BARBIELL.)

Ecclesia initium, semper enim, et ubique gentium servata fuit in Episcoporum consecratione manuum impositio etiam ab ipsismet Apostolis, ut patet ex utraque Epistola mox citanda D. Pauli Apostoli ad Timotheum; quod signum est a Christo aescendere. Et per talem sensibilem cæremoniam confertur gratia sanctificans, ut expresse asserit Apostolus in prima Epistola ad Timoth. cap. 4. ibi: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyteri; et Epist. 2. ad eundem c. 1. ibi: Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum; quem duplicem locum Chrysostomus, Theophylactus, et passim alii Patres intelligunt de manuum impositione, quam Paulus adhibuit, cum Timotheum ordinavit Episcopum; et Tridentina Synodus session. 23. cap. 3. iisdem Pauli verbis utitur, ut probet ordinationem esse Sacramentum; adeoque cum ea verba Paulus de Episcopali Ordinatione intellexerit; manifeste probant ipsum Episcopatum esse vere, ac proprie novæ legis Sacramentum distinctum a Presbyteratu. Tum quia per Episcopatum, ut Episcopatum, confertur specialis potestas spiritualis, nempe confirmandi, conficiendi Chrisma, ordinandi Sacerdotes, Diaconos, etc., quæ potestas non confertur per Presbyteratum; unde cum talis potestas valide conficiendi dicta Sacramenta neque per Summum Pontificem possit ab Episcopis auferri, ex quo Episcopalis Ordinatio tamquam characteristicam sit irrepetibilis, et indelebilis, stat evidenter quod non sit potestas solius jurisdictionis, sed potestas Ordinis.

(2. Hæc nostra sententia deducitur ex pluribus sacris Canon. Primo ex c. Req. 1. de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatu, ubi declaratur, quod ordinati scienter ad S. Ord. ab Episcopo, qui renunciavit loco, et dignitati, ordinem accipiunt, licet officii executionem non habeant, quod non esset nisi Episcopus indelebilem characterem haberet impressum, ut clare sensit Glossa communiter recepta in cit. cap. Requisivit, verb. Execution. (3. Secundo, in Concilio Carthaginensi IV. ubi præscribitur ritus observandus in singulis Ordinibus conferendis, et incipitur ab Ordinatione Episcopi, ut patet in cap. Episcopus cum ordinatur 7. in cap. Presbyter cum ordinatur 8. cap. Diaconus cum ordinatur 11. c. Subdiaconus cum ordinatur 13. cap. Acolythus cum ordinatur 16. cap. Exorcista cum ordinatur 17. cap. Lector cum ordinatur 18. cap. Ostiarius cum ordinatur 19. dist. 23. Qui Canones sicut intelliguntur de Ordinatione Presbyteri, Diaconi, et aliorum, prout sunt Sacramentum, eodem modo intelligendi sunt de Ordinatione Episcopi, cum per eademmet verba loquantur de Presbytero cum ordinatur, ac de Episcopo cum ordinatur. (4. Et eo magis, quia si egissent de Ordinibus, prout sunt Officia, et gradus Ecclesiastici, eodem modo debuissent præscribere ritum observandum in ordinatione Abbatis, Archiepi-

scopi, Primatis, et Patriarchæ, ut recte notat ad literam Fagnan. loc. cit. num. 43. Tertio, ex cap. Cleros 1. dist. 21. c. Perlectis 1. dist. 25. c. Omnium Sacerdotum 1. dist. 31. c. Quia Sanctitas 16. dist. 50. c. Illud 1. dist. 77. c. Diaconus 13. dist. 93. c. Veritatis h. de Dolo et Contumac. cap. Quorundam 1. de Testamentis, cap. Aqua 9. de Consecrat. Eccles., qui omnes Canones cum aliis recte expenduntur pro nostra sententia a Fagnano loc. cit. a num. 34 ad 49 inclusive.

(5. Colligitur etiam hæc nostra sententia ex Conc. Trident. sess. 23, c. 4, adeo ut oppositum tenere, ut recte dicit Reiffenstuel lib. 1. Decretal. tit. 11, n. 26, sit periculosum, siquidem Concilium Trident. ibi Episcopatum expresse inter Ordines innumera, dum ait: « Docet insuper Sacrosancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, et cæterorum Ordinum, » etc.; quæ verba satis clare innuunt Ordinem Episcopalem non solum esse distinctum ab Ordine Sacerdotali, sed etiam esse Sacramentum, sicuti est Presbyteratus, et cæteri Ordines, ponderando illam dictionem Cæterorum, quæ ex propria significatione est implicativa similitudinis. Glossa in cap. Deinde 3, dist. 26, et ibi Geminian., et Præposit. Glossa in c. Et si illa 23, caus. 1, q. 7, verb. Scienda sunt. Præsertim vero, quia in Canone 6, ejusdem sess. Sancta Synodus definiit Sacram Ordinationem vere, et proprie esse Sacramentum a Christo Domino institutum; et pro sacra ordinatione intelligenda est ordinatio illa, de qua prius mentionem fecerat in d. cap. 4. videlicet Episcoporum, Sacerdotum, et cæterorum Ordinum. Sic egregie Fagnan. loc. cit. n. 47 et 48, qui a num. 68 ad 71 inclusive varia adducens, et Trident. latius expendens concludit, constare ex Divina institutione, seu Jure Divino Ordinem Episcopalem esse prorsus distinctum ab Ordine Presbyterali, adeoque dicendum esse, quod non tantum partialiter, sed etiam integre distinguantur tamquam duo integri Ordines Sacramentales.

(6. Probabilis est materiam Episcopatus adæquatam esse manuum impositionem, Formam vero hæc verba, Accipe Spiritum Sanctum. Prima pars conclusionis patet ex continua praxi Ecclesiæ, tum latinæ, tum græcæ semper, et ubique adhibendi manuum impositionem in conferendo Episcopatu, ut fecit Apostolus ordinando Episcopum Timotheum, et alios ex citatis suis Epistolis prima, et secunda ad Timotheum, et non semper, et ubique adhibendi traditionem annuli, et baculi Pastoralis, impositionem libri Evangeliorum super caput Ordinandi, et unctionem ipsius, uti fit nunc apud Latinos; Annulus enim, et baculus Pastoralis, non traditur apud Græcos; immo nec tradebatur apud Latinos sæculo IV, quia Concilium IV Carthaginense exponens ritum hujus ordinationis in c. Episcopus cum ordinatur 7, dist. 23, nullam de illis mentionem facit. Sic impositio libri Evangeliorum licet observata fuerit in Ecclesia Africana sæculo quarto, cum illam referat dictum